

re sine confusiõne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. (T.P. Allelúja.)

Secreta.

Hæc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo ínclitus Martyr et Sacérdos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrábat. Per Dóminum nostrum.

Communio. *Is. 6, 6-7.* Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu ejus cálculus, quem túle-rat de altári, et tétigit os meum. (T.P. Allelúja.)

Postcommunio.

Fragilitátem nostram, Dómine, cœléstis hæc mensa fórtium pane confírmes: qui beáti Martyris et Sacerdótis tui Joannis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

Die 22 Maji

S. Ritæ a Cassia Viduæ

Introitus. *Ps. 117,19 et 22.*



perite mihi portas justítie, ingressus in eas confitébor Dómino: lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. (T.P. Allelúja, allelúja.) *Ps. ib., 1.* Confitémini Dómino

quóniam bonus, quóniam in sæcúlo misericórdia ejus. *V.* Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctæ Ritæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut inimícos dilígeret et in corde ac fronte cantátis et passiónis tuæ signa portáret: da nobis, quæsumus, ejus intercessiõne et méritis; inimícos nostris sic párcere et passiónis tuæ dolóres contemplári, ut promíssa mítibus ac lugéntibus præmia consequámur: Qui vivis et regnas.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Cant. 2, 1-13.

Ego flos campi et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinavit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amore lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et dextera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, filíæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce, iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est di-

léctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. En, ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenéstras, prospiciens per cancellos. En, diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própèra, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni.

Graduale. *Ps. 117, 6.* Dóminus mihi adjutor: non timébo, quid fáciat mihi homo. *V. Ps. 115, 16-17.* Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Allelúja, allelúja. *V. Ibid., 18-19.* Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Veni, Sponsa Christi, accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. *V. Ps. 44, 8 et 5.* Diléxísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptèrea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis. *V.* Spécie tua et pulchritúdine

tua inténde, própère procéde et regna.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. *V. Eccli. 24, 18.* Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Allelúja. *V. Ibid., 20.* Sicut cinnamómum et bál-samum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13 44-52.

In illo tèmpe: Dixit Jesus discíplis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illús vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiátóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósá margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ, missæ in mare et ex omni genere píscium cóngregant. Quam, cum impléta esset, educétes, et secus litus sedétes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatione sœculi: exibunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos

in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei? Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Offertorium. *Gen. 40, 9-10.* Vidēbam coram me vitem, in qua erant tres propágines, crēscere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturēscere. (*T.P.* Allelúja.)

Secreta.

Corda nostra, quæsumus, Dómine, sanctæ Ritæ meritis, superni dolóris spina confíge: ut, a peccátis omnibus tua grátia liberati, sacrificáre tibi hostiam laudis pura mente valeamus. Per Dóminum nostrum.

Communio. *Ps. 20, 4.* Præveniisti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcēdinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. (*T.P.* Allelúja.)

Postcommunio.

Cælestibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus: ut, intercedēte sancta Rita, cantátis et passiónis tuæ in méntibus nostris signa ferámus, et perpétuæ pacis fructu júgiter perfruámur. Per Dóminum.

Die 23 Maji

S. Joannis Baptistæ de Rossi Confessoris

Introitus. *Deut. 15,11.*

Aræcipio tibi, ut apérias manum fratri tuo egéno et páuperi, qui tecum versátur in terra. (*T.P.* Allelúja, allelúja.) *Ps. 40, 2.* Beátus, qui intélegit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. **V.** Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptistam Confessórem tuum in evangelizándis páuperibus caritáte et patiéntia decorásti: concéde, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exempla. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Job.

Job 29, 1 et 8-18.

In diébus illis: Addidit Job, assúmens parábolam suam, et dixit: Vidēbant me júvenes, et abscondebántur: et senes assurgétes stabant. Príncipes cessábant loqui, et dígitum superponébant ori suo. Vocem suam cohibébant duces, et lingua eórum gútturi suo adhærébat. Auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi: eo quod liberássem páuperem vociferántem et pupíllum, cui non esset adjútor. Benedíctio